



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

6. de Crucifixione in monte Caluariæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

nitentiam & mortificationem dignamur! Compassio, contritio, mortificatio.

De Crucifixione in monte Caluariæ.

VI.

Ioan. 19.

I. IN hoc monte Caluariæ, in quo  
(secundum complures doctores)  
humatus protoplastus Adam, & im-  
molatus loco Isaaci aries ab Abraham,  
alter cœlestis Adam, & verus humani  
generis reparator Noe vino amoris  
ebrius, coram tanta hominum multi-  
tudine denuo se permittit denudari,  
ludibrio expōni, vestes sanguinolento  
corpori tenacius adharentes violen-  
ter vna cum cute abstrahi, spineum  
diadema demi, & reponi, omnium  
vulnerum plagas renouari; idque  
quanto cum pudore virgineæ mentis,  
quanto cum dolore tenerimi corpo-  
ris, quanta nihilominus animi vultus-  
que constantia! Quām ardenti inte-  
rim affectu zeli gloriæ Patris, & nostre  
salutis obtulit hæc omnia, imò seip-  
sum ad multò probrosiora diriora, ad  
expiādas tot nefandas lasciuie maculas  
omnium & singulorum filiorum A-  
dam,

dam? Quam piè æterno Patri gratias egerit, quam exultarit, iam tandem aduenisse tempus seipsum in cruce pro salute mundi immolandi? quam alacri animo ad illud sacrificium consummandum properarit? quam deuotè se ad id accinxerit, imò voto ac desiderio iam inchoarit. **Compassio, compunctio, carnis illecebrarum detestatio & mortificatio.**

**Gen. 22.**

II. Deinde verus noster Isaac sic denudatum se & excoriatum sinit non iam benignè paterna manu super struem lignorum poni, sed ab immannissimis carnificibus super lignum crucis impetuosè deiici; nec mollibus funibus ligari, sed ferreis obtusisque clavis affigi; nec arietem vepribus implexum pro se substitui, sed seipsum spinea corona horridum victimari: id que quam ineffabili cum cruciatu manuum & pedum sic transfixorum, totius corporis neruorum sic contractorum? quam inæstimabili nihilominus cum excessu amoris, mansuetudinis, resignationis, zeli maioris nostræ perfectionis, ut in se tam dirè excessus libertate carnis à nobis commissos castigaret, concupiscentiam carnis, & oculorum, & superbiam vitæ, triplicis timo-

timoris Dei, seruilis, mercenarij, filialis clavis esse configendam; seu cupiditatem opum, honorum, voluptatum per tria religiosa vota penitus abnegandam doceret, gratiamque necessariam impetraret. Atque ut perfectè impleret illud: *Foderunt manus meas &c. Pjal. 31.*  
*pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Compassio, amor, zelus imitandi in amore Crucis & mortificationis.

III. Demùm permittit se sic affixum cruci è terra in altum ab impijs Sathanæ ministris inhumaniter sustolli, mox in scrobem satis altè defossam crudeliter deiisci, in medo duorum latronum simul crucifixorum, quam incondito cum clamore & plausu carnificum, & Iudæorum illi certatim insultantium! quam miserabilis cum planctu & gemitu afflictissimæ Matri, & piarum matronarum à longe stantium! quam inconcussa mentis tranquillitate, quam insatiabili plura & diriora patiendi cupiditate, hanc tam acerbam omnium totius corporis compagum concussionem, tam atrocem vulnerum renouationem & ampliationem toleravit mitissimus Agnus, de quo prædixit Iermias: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam?* Quanta animi demis-

*Ier. II.*

missione hanc tantam contumeliam,  
quod velut princeps latronum in me-  
dio eorum collocaretur, sustinuit is,  
qui est caput omnium Electorum, &  
medium inter SS. Triados personas  
obtinet locum, æqualis cum Patre &  
Spiritu sancto maiestatis & gloriae? O  
quam luculentum inuictissimæ pati-  
entiæ, profundissimæ humilitatis, ab-  
solutissimæ resignationis, Deus sic  
(cum iniquu repudiat) imò latronibus  
sceleratior æstimatus, nobis tam deli-  
catis, tam superbis, tam refractarijs  
terræ vermiculis præbuit exemplum!  
Compassio, zelus in his Christum  
imitandi.

*De titulo, & iniurijs à Christo in Cru-  
ce toleratis.*

VII.

I. **T**itulum Hebraicè, Græcè, &  
Latine scriptum (I.N.R.I) fru-  
stra renitentibus Iudæis posuit Pilat-  
rus super caput eius, ut impletetur il-  
lud: *Dicite in gentibus quia Dominus reg-  
nauit à ligno* En quanta cura ac soili-  
citudine æternus Pater filium eò sub-  
limius semper exaltat, quòd is se pro-  
fundius humiliat. Dignum in stabu-  
lo nasci, & in præsepio collocari, con-  
centu curauit Angelico honorari; à  
pasto-

Psal. 95.